



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Cap. XXXIII. De Modestia. Munus duplex Studiositatis. Quae regula in usu Eutrapeliae servanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

metuunt subditi, oderunt; & quem quisque odit, perisse cupit. Viræ Regum dominus est, quisquis suam contempnit. Frustrà se potentiâ munit, qui septus suorum benevolentia non est. Turpia sunt principi multa supplicia, sicut medico multa funera. Si Rex continet vim suam, si omnes injurias & offensiones supernè despicit; si quosdam alienæ iræ, neminem impendit suæ: tunc verè se Regem ostendit. Magni animi est placidum esse atque tranquillum.

CAP. XXXIII. *De Modestia. Munus duplex Studio sitatis. Quæ regula in usu Entrapelia servanda.*

1. **M**odestia reliquas animi dotes mirabiliter exornat. Hæc forma honestatis est & frænum vitiorum. Quamvis sermone taceas, habitu & gestu te prodas. Argumentum virtutis ex minimis licet capere. Vultus, risus, incessus & flexus oculorum, sæpè hominem ostendunt, qualis sit. Sic vive, ut omnes cognoscant te ad consortium Angelorum pertinere. Serva decorum in motu omnium membrorum, in gestu, voce & aspectu; ne quid in his effeminatum & molle sit, ne quid rusticum aut durum. Vera modestia ab animo in corpus, ex interna morum gravitate in superficiem emanat, ut quasi supellectilem suam mens foris inspiciat. Vir modestus vivum Dei simulacrum est: nam solus ejus aspectus intuentes componit. At hoc quàm bonum est, videri & prodesse? Spectat quoque ad modestiam tui statûs conditionem in vestibus, supellectili, ornatu domus & multitudine servorum non excedere. Animi tui impedimenta hæc sunt, quibus non tu, sed quæ sunt extra te exornantur. Cur igitur gaudes malo tuo? cur inania miraris & impedimentorum multitudine gloriaris? Hanc servorum cohortem, quæ latus tuum cingit, rectè dixeris hostilem exercitum, à quo satis cavere non potes. Quid agas nosse volunt, non quid præcipias. Nihil humiliorum eorum ingressu, nihil progressu insolentius, nihil odiosius egressu.

2. Studio sitatis

2. ^{petitu} Studiofitatis duo sunt munera, alterum sciendi ap-
 m, qui plerumque iusto major esse solet, tempera-
 re & moderari: alterum, torporem excutere, animique
 industriam ad necessaria ediscenda excitare. Curiosum ho-
 mini ingenium dedit natura, artisque suæ ac pluchritudi-
 nis conscia nos operum suorum spectatores genuit, per-
 ditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subti-
 liter ducta solitudini ostenderet. Sed abutimur naturæ
 bono, ea curiosè investigantes, quæ utiliùs ignorarentur.
 Non ille sapit, qui scit multa, sed qui sapit quod facit ad
 rem. Ea primùm discenda, quæ pertinent ad salutem:
 cætera quo minùs legas non deterreo, dummodò quic-
 quid legeris ad mores referas. Cave autem ne lectio mul-
 torum librorum habeat aliquid vagum, & instabile. Cer-
 tis ingeniis immorari oportet & innutriri, si velis aliquid
 trahere, quod in animo fideliter sedeat. Lectio varia de-
 lectat, certa prodest.

3. Danda est aliquandò remissio animo & assiduo la-
 bori quies intermiscenda; non enim durabile est, quod
 caret alternâ requie. Legum conditores dies aliquot con-
 stituerunt, quibus ad hilaritatem publicè homines cog-
 rentur, viresque reciperent paululum resoluti & remissi.
 Animi verò relaxationem plurimæ actiones constituunt.
 Inambulatio scilicet in loco amœno & aperto, ut cælo
 libero attollat se mens & membra vegetentur: suburbana
 ac rusticana secessio procul ab urbium nidore & tumultu:
 aucupium & venatio, quæ statum tuum non dedeçant; &
 piscatio quæ innocentior est: læta studia & mitiora, mu-
 sicusque concentus & ludus aliquis honestus: joci de-
 mùm innoxii & urbanitates, à quibus absit omnis inju-
 ria & indecentia. Sunt quidam nimium severi, osores
 hominum, suisque tenebris incubantes, à quibus hilaris
 sermo nunquam potest extorqueri. Alii joci semper de-
 diti, rebus seriis nunquam se populo subducunt. Miscen-
 da autem ista & alternanda sunt, nam solitudo desiderium
 hominum faciet, frequentia tui, eritque altera alterius

C. Bona Opusc. Spirit.

B b

remedium. Odium item laboris sanabit remissio, tedium remissionis labor. Sunt & nonnulli, qui vires suas dispensare nescientes immoderatum in se imperium exercent. Modus illis deest. Nec intermittere studia sciunt, nec repetere. Cùm se ad laborem concitant, junguntur dies noctibus, nec desinunt, nisi deficient. Rursùs cùm se in lusum dimittunt, se ita resolvunt, ut ad priorem consuetudinem vix retrahi possint. Sic igitur dandum animo intervallum, ut remittatur, non resolvatur. Ad hoc necessaria est Eutrapelia, quæ certos fines præscribat, quos prætergredi nefas sit. Optima quæque mala fiunt, cùm quis modum excedit.

CAP. XXXIV. *De Humilitate. In quo consistat. De cognitione sui. Veri humilis characterismus.*

i. **A** Christo venit humilitas. Ipse eam verbo promulgavit, docuit exemplo. Hæc post virtutes Theologicas & intellectuales inter cæteras primatum habet, removet enim superbiam, quæ est origo omnium malorum. Hæc nos amabiles Deo reddit, quia cum humilibus sermocinatio ejus. Sine hac, quæ virtutum fundamentum est, quicquid in spiritali ædificio superextruitur nec solidum erit, nec stabile. Quamvis autem ipso nomine quidpiam vile & exiguum præ se ferre videatur, virtus tamen magnorum est, quoniam est virtus perfectorum, animumque erigit ad altiora. Illustria aggreditur sine tumoris periculo, ardua sine metu difficultatis, excelsa, strenua, magnanima, eodem semper tenore subsistens. Non consistit humilitas, ut vulgus putat, in mera sui despicientia & abjectione, sed in ea moderata gloriæ & honoris appetitione, quæ & excessum devitet, & a defectu recedat. Appetit humilis gloriam tanquam stipendium virtutis, animo directè in actionem intento, non propter ostentationem, sed ob solam virtutem & quantum ipsa deposcit. Illegitimus est omnis honor, quem virtus non parit. Quia verò humilis, qua pollet mentis perspicacia,